Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Sed pendens desuper mensuras et lineas incomprehensibilitatis tentas,
fit tanto magis in humilitate formidinis, quanto magis pende-
re videt omnia in potestate mensoris. Sequitur: Super quo bases illius so-
lidatae sunt? Quid aliud huius terrae bases quam sanctae ecclesiae doctores acci-
pimus? In basibus quippe columnae, in columnis autem totius fabricae
pondus erigitur. Non ergo immerito doctores sancti basium nomine
designantur, quia dum recta praedicant, et praedicationi suae viven-
do concordant, omne pondus ecclesiae fixa mox suorum gravitate
sustentant, et aspera ab infidelibus temptationes ferunt, et quaeque
in praeceptis dei velut difficilia a fidelibus formidantur, exemplis
operum facilia ostendunt. Unde et bene cum in typo ecclesiae tab-
naculum figeretur, ad Moysen dicitur: Facies columnas quattuor,
et bases earum vestiies argento. In argento enim quid aliud quam cla-
ritas divini sermonis accipitur? Sicut scriptum est: Eloquia domini eloquia
casta, argentum igne examinatum terrae. Bases ergo argento vesti-
tae quattuor columnas tabernaculi sustinent, quia praedicatores
ecclesiae divino eloquio decorati, ut in cunctis se exemplum praebeant,
IIII evangelistarum dicta et ore et operibus portant. Possunt
per bases etiam prophetae signari, qui dum primi aperte de dominica incar-
natione locuti sunt, quasi quasdam bases eorum conspicimus
a fundamento surgere, et suppositae fabricae pondera sustinere.
Unde ad Moysen rursum dominus cum tabernaculi tabulas erigi prae-
ciperet, fundi earum bases argenteas iubet. Quid enim per tabulas nisi
apostoli extensa in mundum praedicatione dilatati, quid per bases ar-
genteas nisi prophetae signantur, qui superimpositas tabulas ipsi fir-
mi ac fusiles sustinent, quia apostolorum vita dum eorum praedicatione
instruitur, eorum et auctoritate solidatur. Unde et cunctae binae ba-
ses singulis tabulis supponuntur, quia dum prophetae sancti in nubibus

XII. Quid sit super quo bases illius solidatae sunt.

XIII. Quid significent bases argento vestitae.